

# SCRIPTA

---

**Numéro Scripta :** 4971

**Auteur(s) :** Évreux (official)

**Bénéficiaire(s) :** Pont-de-l'Arche, Notre-Dame de Bonport (abbaye)

**Genre d'acte :** charte

**Authenticité :** non suspect

**Datation :** 1279, 14 janvier

**Action juridique :** autre

**Langue du texte :** latin

## Analyse

André le Danois ratifie la vente faite par lui aux religieux de Bonport de toutes les dîmes qui lui appartenaient au Thuit-Signol et à Saint-Pierre-des-Cercueils.

## Tableau de la tradition

### Éditions principales

a. Andrieux Jules, *Cartulaire de l'abbaye royale de Notre-Dame de Bon-Port de l'ordre de Cîteaux au diocèse d'Évreux*, Évreux, Hérissé, 1862, n° CCCVII, p. 315-316.

Texte établi d'après a

Universis presentes litteras inspecturis ac etiam audituris, officialis curie Ebroicensis, salutem in Domino. Universitati vestre notum facimus per presentes litteras, sigillo dicte curie sigillatas, quod in jure presens coram nobis Andreas dictus Le Daneys, de parrochia de Leriaco, confessus est se vendidisse, finaliter concessisse et omnino in perpetuum dimisisse viris religiosis abbati et conventui Boni Portus, Ebroicensis diocesis, pro quinquaginta quinque libris turonensium, de quibus viris religiosis in numerata pecunia se tenuit coram nobis plenarie pro pagato, videlicet omnes decimas, quocumque nomine censeantur, quas habebat et habere poterat, et omne jus, dominium et proprietatem ad eum spectantes in parrochiis de Tuis Signol et de Sarcofagis ratione decimarum predictarum : tenendas et habendas ac eciam percipiendas et possidendas dictis religiosis et eorum successoribus, libere, pacifice et quiete, sine reclamacione et contradicione dicti Andree ipsiusque heredum de cetero faciendis. Et tenetur idem Andreas et ejus heredes erga omnes dictas decimas eisdem religiosis et eorum successoribus, bona fide, ad usum et consuetudinem patrie, defendere, liberare ac garantizare et ab omnibus impedimentis, sumptibus eorum propriis, acquitare et omnia dampna et deperdita dictorum religiosorum si qua sustinerint vel habuerint, ob defectum dicti Andree ejusque heredum, reddere et resarcire vel super omnes redditus dicti Andree quos habet et percipit in dicta parrochia de Tuis Signol, quos ad hec specialiter et heredes suos obligat dictis religiosis et successoribus eorundem, ita quod eos non poterit idem Andreas nec ejus heredes dare, vendere, aut alias quoquo modo obligare vel alienare, nisi de dictorum religiosorum licencia speciali, renuncians exceptioni doli, mali, non numerate peccunie, fori declinatorie, omnique privilegio crucis, et omni alie exceptioni et defensionis juris et facti competenter et competituris de premissis omnibus et singulis, tenendis et adimplendis dictis religiosis et de non veniendo contra premissa ab eodem Andrea, coram nobis prestito sacramento.

Actum et datum die veneris post Epyphaniam Domini (l. post octabas Epiphanie Domini), anno ejusdem M° CC° LXX° octavo.